Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1869
Quelle:
Copyright:

tusto Anonymo primus e Cod. S. *Emmerammi* protulit *Hier. Pezius* O. S. B. *Scriptor. Rer. Austr.* T. I. *col.* 36. Dubites, an praesens nostra ex illa aliquantum aucta, an illa e nostra contracta fuerit. Elocutio enim passim eadem est, augmentum vero nostrum ut plurimum in Prosopopoejis consistit. Praeterea nobis *Florianus* ad *ceciam ciuitatem* habitasse dicitur, quae in altera *a Pezio* producta Vita *Zaizzelmauer* adpellatur; Mulierem, quae Martyris corpus sepelivit, Nostra, ut ista, *Valeriam* vocat; denique sola inter Aegrotos ad tumulum sanatos diserte *febricitantes* designat.

IV. *pag.* 199. ἀκεφαλως sequuntur *Sermones de Sanctis*, ut praenotatur, e *Contracto*, et quidem a Festo *Gregorii* M. seu *Martio* ad *Simonis et Judae* App. seu *Octobrem. Contracti Sermones* indicavi *Vol.* I. P. 1. *col.* 1196. et *Vol.* II. ut *Index* docet.

DCCLXXIX.

U. 149 Codex chartaceus lat. Sec. partim XIV. partim XV. Folior. 227. f. per duas columnas, et priore quidem parte nitide exaratus, rubricis distinctus, et, ut loquitur Theca anterior, *Collegio Ducali e testamento cujusdam presbiteri* oblatus *per Egregium patrem Magistrum Paulum de mellico*, qui a. 1479. decessit, sequentia complectitur: I. *Moralia*, seu *Moralitates super Lucam.* Ita quidem Inscriptio, sed clarius ad calcem *fol.* 54. ante Indicem: *Collaciones que precedunt sunt predicabiles sub scriptis Dominicis et feriatis diebus per totum annum* &c. et post Indicem: *Expliciunt collaciones luce bone per fratrem nicolaum ordinis predicatorum compilate.* Et reipsa singulae hae *Collaciones* per decursum *Sermones* inscribuntur et ad numerum LXXXIII. ascendunt. Primus incipit: *Ave Maria. Vbi est aduertendum quod hoc nomen habet quinque literas, ad denotandum, quod ipsa per quinque dominas veteris testamenti, quarum nomina incipiunt ab aliqua istarum literarum figuratur.* Dominae porro istae sunt *Michol, Abigail, Rachel, Judith* et *Abisag.* Sermo ultimus finit: *dabant sibi vires plures, quam prius habuerat.* Jam vero quis inter plures *Nicolaos* homiletas, quos offerunt Bibliothecarii Dominicani, hic noster? Ego in *Nicolaum* sive *Nicolucium*, quod non, ut illi conjectabunt, contractum e *Nicolao* et *Lucio*, sed diminutivum *Italis* frequens, ut ab *Hugone Hugucius*, ab *Antonio Antoninus* est, *ab Asculo* vel *Esculo*, qui circa annum 1330. scripsit, propendeo, motus maxime, quod illis testibus T. I. p. 566. *Sermones* etiam *de Mortuis* reliquit. Nam in praesenti *Codice* ab eadem manu.

II. *fol.* 54. *Incipiunt sermones fratris Nicolai ordinis fratrum predicatorum compilati de mortuis per totum annum secundum cursum Dominicarum*, et quidem a *Dominica prima in aduentu*, cujus Sermo ita orditur: *Soluite et adducite mihi. Matth. 21. Quia inter ce-*